

rum fodinæ, ut illa sese diffuderit in Orientem ad Judæos usque, insi-  
nuantibus id libris Maccabæorum. Posteriorum temporum Impe-  
ratoribus suas in Illyrico, Dacia, Mœsia, Macedonia, Ponto & Asia  
minore fuisse auri & argenti fodinas indicio sunt leges Codicis de Me-  
tallariis & metallis. In quibus legibus id quoque observare est, Im-  
peratores ultra canonem metallicum, quem ibi pro locorum diversi-  
tate certum constituerunt, (nobis decima est) peculiariter cavisse, ne  
metallici, quicquid auri colligunt, alii quam *fisco distrabant, & ab  
eo potissimum competentia pretia accipiant*, quem morem apud nos  
adhuc hodie vigere nemini non constat. Sub principatu Neronis in  
Dalmatia, quæ Illyrici pars erat, auri venam detectam fuisse, quæ sin-  
gulis diebus quinquaginta libras fuderit, Plinius notat. Quantæ  
fuerint Daciæ ex fodinis metallicis opes, vel hinc colligas, quod to-  
tos fornices sub terra effossos auro signato impleverint. Avorum  
memoria in Transylvania, quæ veterum Dacia mediterranea erat,  
injuriam temporis ejusmodi fornices secretum violasse, deque ejus au-  
reis aliquem se vidisse refert Matthesius suæ Sareptæ sermone secundo.  
Atque hoc non insolens in Dacia fuisse asserit factum ultimi Dacorum  
regis Deceballi, qui cum à Trajano Imperatore armis victricibus ur-  
geretur, ne ipse cum divitiis suis, quibus maximè inhiare Romanos  
animadvertibat, hosti præda foret, thesaurum, quem ingentem ha-  
bebat, in imo Sagetiæ armis vado, miro astu recondidit. Derivato  
namque fluvio, terraque altius defossa, omnes opes illi fornici com-  
misit, saxisque præ grandibus inter se ferro commissis & aggeribus i-  
ta clausit, ut, amne licet in pristinum alveum reducto, nullum omni-  
nò vitium facere posset. Hinc ne quis hujus furti secreta temerare pos-  
set, captivos, quorum opera ea in re usus fuerat, ad unum omnes luce  
privavit, sequæ ipsum quoque deinde exiit vita. Nihil jam dicam  
de divite auro, & venis metallicis undante Colchorum terra, cujus  
ex fodinis metallicis divitias nomine aurei velleris antiqui velarunt.  
Egregiè hac de re Strabo: ὁ πλῆθος, inquit, τὸ ἐκείχαστος ἐκ τῶν χερυσειῶν,  
καὶ δεχυσειῶν καὶ σιδηρείων πρὸφασις τὸ σραλείας, innuens, aurei velleris  
nomi-

nomi-